

1526 ad Oragum Ollium flumen trajecissent , ponte , nuntio auditio , Abduam transgressi fuerant , ac præsidia urbis augere , æneas machinas ad arcis prospektum dirigere cœperunt , ut si hostes denuo in fortunæ aleam se immittere vellent , a nostris obfirmatis animis , omnibusque ex militari præscripto dispositis , resisti posset . Verum qui arcis præerant auxiliorum ambiguitate , arcis tuendæ difficultate permoti , utpote quæ angusto ambitu parvam militum manum intra se admittat , sequenti nocte abiere ; ab equitibus excepti , qui Mediolano ea de causa emissi fuerant .

Laus Pompeja a Venetis capta maximum pondus foederatis attulit , cunctosque in spem erexerat , fore , ut felici cursu victoriæ initia in dies magna susciperent incrementa ; Mediolanensesque præcipue hoc facto exitum miseriarum inveniri posse sibi pollicebantur . Nam egregie munita civitas , quam semper Cæsareanos usque ad ultimum spiritum defensuros constans opinio fuerat , præterquam quod vires sociorum auxerat , non minora hostibus damna attulerat ; cum inde absque impedimento Ticinum , ac Mediolanum viginti millia passuum itinere progredi liceat . Abduam nostri nullo obstante trajece-
 rant , mora jungendarum copiarum ablata , Cremona in maximas difficultates subsidiorum recipiendi , si opus foret , redacta . Quæ omnia ex Laudis Pompejæ eventu pendebant . Hoc nuntio habito , Senatus incredibili lætitia affectus est , mirisque laudibus Malatestæ Baleonii virtutem , ac fortitudinem extulit , qui quatuordecim annos Reipublicæ Venetæ strenuam operam navaverat ; atque ut egregio aliquo argumento illius virtutem , publicamque grati animi significationem testarentur , Senatus decreto peditum Præfectorum summo Patrum consensu iij. kal. junias declaratus fuit , annuo aureorum mille quingentorum stipendio addito , & si bella Venetis gerenda essent , ut strenuos milites feligeret , menstrui centum aurei nummi ex aere publico præberentur . Laude Pompeja occupata , nil superesse videbatur , nisi ut Pontificis , Venetisque juncis copiis , ad Sfortiam , qui jam in Mediolanensi arce extrema patiebatur , liberandum proficerentur : qua in re non deerant varia a Clementis ducibus impedimenta ; nam cum Guidus Rangonius Rubertum Boschetum ad nostros misisset , ut de ratione belli

ad-

*Malatesta
Baleonius
peditem
Præfector
a Venetis
declaratus.*

*Robertus
Boschetus a
Rangonio
ad Urbina-
tem missus.*